Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 937
Quelle:
Copyright:

potestatis &c. sequatur, *Dialogus* tamen inter *Discipulum* et *Magistrum*, qui illa excipit, et infit: *Fratres in domo dei cum consensu ambulantes* &c. nequaquam est *Isidori*, sed *Honorii Augustodun.* Patet id cum ex *Discipuli* verbis mox subjunctis, quibus ad *Magistrum* ait: *Qui* (Deus) *ob genitricis sue merita tot eis in* canticis *de ea per te reserauit mysteria. Ob hanc causam et ob alia, que multis incognita* elucidans *in laudem eius addidisti* &c. Constat vero, *Honorium* et Expositionem in *Cantica* titulo *Sigilli S. Mariae*, et *Elucidarium* scripsisse, tum ex Codicibus *mss. Honorii* nomen praeferentibus, quales fuere *Brunwylerensis* et *S. Pantaleonis*, item *Tongerloensis*. Atque e duobus quidem prioribus *Dialogum* nostrum primus protraxit *Georg.* ille *Cassander* typis *Colon.* 1552. 8. inscriptum *de Praedestinatione et libero arbitrio*, subpresso *Inevitabilis* nomine, quod illi indi Autor ipse in Peroratione voluit; e tertio autem illum repraesentavit *Antverpiae* 1620. et 24. 8. *Joh. Conen* Canoniae illius Prior, unde in Bibliothecas PP. transiit, et legitur edit. *Lugd.* T. XX. p. 1128. Si *Fabricii* in *Bibl. med. Lat.* L. VIII. edit. *Mans.* p. 278. λακωνισμον audias, *in Cassandri manes injurius* fuit *Johannes Conen;* ast si hujus textum Codice nostro fultum cum *Cassandrino* conferas, haerebis enim vero, nec optima fide *Cassandrum* egisse comperies. Non est instituti mei, quod et alias monui, Exempla integra inter se contendere, sufficiat indicasse, *Cassandrum* statim ab exordio inter verba: *injuste puniri putantur*, et: *Vnde rogo te de hac re latius disserere* &c. 47. lineas edit. *Paris.* 1616. Opp. in *fol.* interserere, paullo post a verbis: *quia auxilium meum a Domino*, in omnia alia abire, demum sub finem a verbis: *ideo illi spectaculo te interesse concedat Deus*, usque ad verba: *Hec de predestinatione et prescientia et libero arbitrio defer filiis ecclesie* &c. doctrinam *Honorii*, vel suam potius, aliter colligere, quam quidem in Codice *Tongerloensi* et nostro legatur. Atque huic consilio suo Vir callidus et temporibus serviens praestruxisse videtur, Exemplaria sua in *Praef.* accusando, dum illud S. *Pantaleonis acephalum* vocat *ac scriptum negligentius et impolitius, sed quod tamen nonnullis in locis exemplaris nostri hiatus quosdam supplevit et mendas correxit* &c. Melioris sane conditionis sunt Codices, quos hactenus illi obposui.

III. *fol.* 65. p. 2. *Incipit ysidorus de ordine creaturarum.* Praeit Elenchus Capp. XIV. quorum I. *De fide trinitatis* incipit: *Uniuersitatis dispositio bifaria ratione debet intelligi.* Opusculum theologicophysicum a nemine, quod sciam, hactenus indicatum. Autor ita perorat: *Ecce venerabilis pater de ordine Creaturarum tibi proponenti iuxta ingenioli mei modulum compendioso sermone summatim respondendi ramusculi* (sic) *mercedem omnibus tuis compensabo. — Hanc igitur et tu simili modo mee par-*